

E Medical Essays and Observations. Aug 2. [a. 1.]
Angeb. 12

ACTORVM MEDICORVM EDINBURGENSIVM

SPECIMINA DVO
DE MEDICAMENTO ALTERANTE EX MERCVRIO

ET

DE AVRIGINE

EX ANGLICO SERMONE LATINE REDDIDIT

PAVL. GOTTLIEB VVERLHOF.D.
M. BRIT. REGIS MEDICVS AVLICVS.

ACCEDIT

EPISTOLA

AD

VIRVM ILLVSTREM

IOANNEM SAMVELEM NOB. DOM. DE BERGER

CONSILARIUM CAESAREVM ET M. BRIT. REGIS

ARCHIATRVM

DE IISDEM ARGVMENTIS

ET CAMERARIANO AVRGINIS REMEDIO

VBI SIMVL

DISPVTTATIONI DE LAVDE FEBRIS

POSTREMVM COROLLARIVM ADDITVR.

Efficacia remedia dantur certe, eaque præstantissima ad pellendos morbos, quæ, prudenter a peritis in usum vocata, non minus præstant opem in internis, quam chirurgica in affectibus externis sanandis. China chinæ quid præstet in curandis febribus & multis aliis morbis abunde iam innotuit: mercurialia remediorum efficacissima, dummodo manu tractentur periti.

BRVNNERVS de pancreate secundario

P. 148. 149.

HANNOVERAE

SVMTIBVS HAEREDVM NICOLAI FOERSTERI ET FILI
clo locc xxxv.

w

Lectori beneuolo.

Exhibeo specimina duo actorum medicorum Edinburgensium, in latinum sermonem a me translata, ut partem plurimorum, que in illo libro cumulate redundant, commodorum, iis degustandam propinem, quibus ex ipso fonte omnia haurire nondum licuit. Agit prius de utilissima aliqua medicina ex mercurio dulci, que, suo modo noua, candide reuelatur; alterum de aurigine, cuius sat vulgata theoria ingenioso doctoque examini subiicitur. Adieci epistolam ad virum excellentissimum, cuius beneuole communicationi acta illa primum debedo. Dixi ibi aliqua tum de iis actis eorumque instituto, tum de argumentis iisdem, que laudatis in speciminibus tractantur, tum, data de aurigine dicendi occasione, de remedio aduersus ickerum CAMERARIANO, rectique usus & meas vindicias moderatissime, contra ultimos cl. GOELICKII conatus, epicrisi in commercii Norimbergensis excerptum nuperrime euulgatos, postremum denuo suscepit. Neque quicquam præterea opus habeo, nisi ut ad æquos, doctos, sapientes, iudices omnes & singulos, & ad hos versiculos pronocem, quibus cautiones meas medicas finiu:.

Si quis inexhaustæ cultor genuinus Hygeiæ
Dogmate disideat, studiis sed iunctus amicis,
Vel nutans dubitet, vel surroget altera nostris
Consilio potiore potens, prescribat in albo
Candidus expertusque, & limite terminet æquo!
Frugiferum moderamen amans sine felle reponam.
Si quis in aduersum index iniurius arti,
Probra meditrinæ tribuens, altaria morbo,
Commoda confundens nocuis, & recta recurvis,
Exspuat ampullas, ventis mandamus & undis.
Pars errare volens erret; qui febris amore
Vritur, ardescat; bona munera numinis almi
Qui renuit, careat! nostros non subruet usus.

ACTO-

ACTORVM EDINBURGENSIVM

SPECIMEN I.

ALTERANS EX MERCVRIO MEDICAMENTVM
PROPOSITVM

AB

ANDREA PLVMMERO, M.D.

SOCIO COLLEGII MEDICORVM ET PROFESSORE MEDICINAЕ IN ACADEMIA EDINBURGENSI.

Quamquam penitus persuasum habeo , fieri non posse , vt ad cognitionem certam virtutum & effectuum noui alicuius & incogniti remedii in corpus humanum per ratiocinia a priori , quæ dicunt , perueniamus ; huic tamen ego principio non possum quin existimem haud incongruens esse , si affirmemus , certas conclusiones , aut saltim maxime probabiles coniecturas deduci posse ex cognitis quorumdam medicamentorum operibus , ad virtutes & effectus aliorum , nondum quidem tentatorum , sed compositorum ex iis , quorum potentias per repetita experimenta constantesque obseruationes antea iam didicimus . Atque id tunc præcipue succedere videtur , si per chemica experimenta de effectibus ex coniunctione certaque aliqua tractatione corporum in præparatione adhibitorum resultantibus perspectum iam satis habeamus . Hac vnicे ratione nouas quasdam chemicæ artis productiones primi-
tus in medicorum praxin introduci fas est . Atque hic ratiocinandi modus primo me induxit , vt medicamentum

A 2

ten-

ACTORVM EDINBURGENSIVM

tentarem ex *sulfure antimonii aurato*, & ex *calomelite*, compositum: haud sine spe quadam rationali, fore, vt in quibusdam casibus optato successu bearer. Referam istos, posteaquam de medicamento ipso, eiusque præparatione & vsu, quædam monuero. Ex quo simplices quædam antimonii & mercurii præparationes, magnis suis & admirandis effectibus in multis morbis pertinacibus, obseruationi sese medicorum commendauerunt; factum est, vt chemici ybique gentium omnem suam adhibuerint artem, quo bina hæc herculea remedia in varias formas permutarent. Verum quum multæ ipsorum præparations rudiores viderentur, neque vsui opportunæ, nouo sese accinxerunt operi, vt elaboratores, subtiliores, mitiores, correctioresque exhiberent, repetitis laboribus, additionibusque variarum rerum. Summa autem exercitatio adhibita, & maxima spes innixa fuit vniendis & in vnum corpus permiscendis antimonio & mercurio, particulas, quæ noxiæ magis & inutiles videbantur, separando, & confociando elementa maxime actiua. His chemicorum laboribus debemus butyrum & cinnabarin antimonii, mercurium vitæ, bezoardicum minerale, solare, lunare, iouiale, panaceas varias, aliasque elaborationes, quo quis extra orbitas encomio ab inuentoribus mactatas. Vereor autem ne plura horum, per nimis officiosas chemicorum curas, aetia efficacia priuata sint; dum alia remanserint incorrecta & proposito scopo inepta.

Id, quod ego, post aliquam de effectibus experientiam, considerationi offero medicamentum, neque pomposo titulo, neque tædioso & perplexo laboris processu superbit; neque tamen prudentiorem quemquam, ob medicamenti facilem simplicemque rationem, præcepta
-113-

SPECIMEN I.

3

in aduersum opinione imbutum iri, confido. Sulfur antimonii auratum, & calomeli, (seu, vt vulgo scribunt, calomelas) e quibus hæc medicina composita est, tam bene nota cuiuis sunt, qui salutari arti nomen dixit, vt artificium ipsorum ususque memorari hoc loco non mereatur. Id solum notare debeo, præferri a me *Angeli Salæ* methodum præparandi sulfuris antimonii, alteri in plerisque pharmacopoliis chemicisque collegiis præscripto(a). Hoc *Salæ sulfur*, seu potius *lac sulfuris antimonii*, *Tachenius* (b) existimat idem esse, quod *Helmontius* (c) obscuris quibusdam phrasibus innuit, vbi dicit, verum sulfur antimonii visu vix differre a vulgari, nisi quod parum in viriditatem vergat. Cum hoc sulfure cinnabarin præparat, cuius sexies sublimatae & vino infusæ mirabiles celebrat effectus.

Hæc ipsa cinnabaris videtur idem esse remedium, quod eodem tractatu memorat, mercurii diaphoretici nomine. *Tachenius* hoc sibi sulfur pro admirabili in tympanite medicamento expertum laudat. Ex eodem parat limentum, duobus non nominatis simplicibus mixtum, quod spinæ, carpis, pedum plantis illitum, in curandis febribus tertianis non fallat.

Dixi antea me sulfur antimonii *Salæ* sulfuri aurato officinarum præferre; non ob eorum solum, quos modo dixi, auctorum laudes, sed etiam, quia in vulgari præparatione, qua deflagrando paratur antimonium cum nitro & tartaro, multum veri sulfuris consumitur, puluisque ex scoriarum solutione præcipitatus pluribus constat ter-

A 3

reis

(a.) v. *Salæ anat. antim. part. 2. sect. 1. t. 2. p. 319. sq. oper. edit. Francof. 1647.*(b.) *Hipp. chem. p. 198.*(c.) *in verb. herb. p. 577.*

reis crassioribus antimonii & salium particulis. Fateri tamen simul debo, non suppetere mihi Helmontiani sulfuris experientiam. Illud enim, quo adhuc in componendo eo, de quo ago, medicamine usus sum, vulgari paratum fuit modo.

Quod ad proportionem sulfuris aurati & calomelitis spectat, quum primo ea medicina uteretur, sciremque, facile ægrotam, quam tractabam, ex parca mercurii dulcis dosi ad saliuæ fluxum excitari, tres sulfuris aurati, duas calomelitis, partes adhibui. Postea æqualia assumsi singulorum pondera, auxique dosin, vel imminui, pro re nata. In ipsa compositione non sufficere videtur, ut simpliciter miscetur calomeli præparatum cum aurato sulfure; sed præstat, me quidem iudice, magis intime ea uniri, calomelite in crassiorem puluerem confracto, sensimque addendo sulfur auratum probe super marmor laevigato: quo facto rutilus sulfuris aurati color in obscure fuscum transit. Adhibui semper in hac præparatione *calomeli*, id est, mercurium dulcem, sexies sublimatum, (præter primam illam corrosiui cum viuo sublimationem præmittendam). Magis enim mite id existimo, minusque aptum stimulandis intestinis, aut humoribus ad saliuationem disponendis. Quod ad dosin, diætamque obseruandam, & effectus huius medicinæ attinet, facile ista ex sequentibus historiis colligi possunt.

Ante aliquot annos fœmina nobilis, triginta circiter annorum, staturam iunceam, delicatam cutem habens, quum porrigine capitis laboraret, cum crustis duris & fiscis, præcipue circa tempora, meum petiit, ut ab eo malo liberaretur, consilium. Post varias purgantium remediorum cum calomelite præbitiones iustis interuallis repe-

repetitas, cursum, quem dicunt, seu medicationem ordinate continuatam, ex iis remediis, quæ antiscorbutica audiunt, præcepi, & topica quædam medicamina, lotiones & linimenta, applicau. His per aliquot hebdomades visitatis, pars crustæ separari cœpit; sed, quum ægra nimis cito a continuatione abstineret, sensim incrementa morbus denuo cepit. Iterum post quatuor circiter menses vocatus, inueni crustas scabiosas tota non solum capillata parte, sed & anterius per frontem ad supercilia & nasum, & in lateribus faciei ad aures usque, fese diffudisse. In capillata parte crustæ non ubique sibi continuæ erant, sed in largos, spissos, ficos tractus distinctæ, cuti firmissime adhærentes. Frictione vel scalptu furtureæ crustulæ abscedebant; nihil vero vñquam effluebat humoris. In facie tenuis erat & alba scabies, cutis subtus crassior, & in interstitiis magis solito rubens. Nusquam præterea crustæ in cute apparebant; neque, præter partium affectarum pruritum, ægritudinis aut doloris quicquam querebatur ægra. Psora videbatur morbus, vel lepra incipiens. Hoc in casu necessum esse ratus sum mercurialis curationis legibus ægrotam subiicere: & leuis quidem mercurii dulcis quantitas saliuationem, quæ sufficere mihi videbatur, excitauit: exiguaque præbia, altero vel tertio quoquis die repetita, per quatuor hebdomades fluxum seruarunt, ad tres fere quotidie pintas Anglicas, seu libras (*pints*, Gallice *chopines*). Declinante fluxu, fotum capiti bis indies fieri iussi ex decoctis quibusdam plantis antiscorbuticis fixioribus, admixto & soluto sapone, & inungi vnguentum cum sulfure antipsoricum. Hac methodo, & adhibito peniculo, crustæ promte decidebant, rasoque semel atque iterum capite, cutis perfecte pura atque sana cerne-

ternebatur, & capillitum æque ac ante spissum vegetumque progerminabat. Ita morbus omnino in hyemis principio videbatur profligatus; sed primo statim vere in temporibus rursus sese ostendere incipiebat scabies, & perquam cito supra caput & faciem versus diffundi. Promtus hic morbi post saliuationem regressus, & quædam eo tempore in ægræ negotiis circumstantiæ, aliam meditari iubebant curationis methodum. Tentare constitui sulfur auratum antimonii; sed, quum ipse experientiam de eius medicinæ virtute propriam non haberem, & vererer, ne inventriculo maxime efficacitas eius sese exsereret, emeticam vim corrigi posse existimauit partim dosi minori, quam quæ ab auctoribus præscribitur, partim addito momento calomelitis, quo vel operatio versus inferiora dirigi, vel felicius in sanguinem traduci, & ad penetrandos canales angustiores, sine saliuatione, aptari posse videbatur. Ut autem aliquam effectuum huius medicaminis notitiam mihi compararem, priusquam ægræ meæ præscriberem, præbium vnum aut alterum in me ipso explorare decreui. Recepit igitur tres sulfuris antimonii partes, duas calomelitis, & modo supra dicto præparaui. Quinque huius pulueris grana mane, iejunus, cum conserua roscarum deglutiui, neque hac dosi vllum in modum, quem sensu percipere potuerim, affectus sum. Sequenti mane septem cum dimidio eiusdem grana sumsi; neque hanc dosin magis persensi. Tertio igitur die decem grana cepi, quibus quidem nausea & vomituritio per aliquot horas excitata, ad ientaculum vsque, eoque die aluum semel plus solito deposui. His tentaminibus aptus redditus ad dijudicandam melius dosin & efficientiam medicaminis, quod præscribere cogitabam, certam quantitatem eius pulueris iubebam.

bebam in pilulas formari, cum extracto gentianæ; additis aliquot guttulis olei caryophyllorum, atque ita diuidebam massam, ut sex pilulis quindecim pulueris grana inessent. Ex his tres mane ab ægra capiendæ erant, totidemque vesperi, cum poculo leuis decoctionis ligni & corticis guaiaci moderate calido, quo potu etiam sitis fallenda erat. Fatus & inunctio prius dicta repetebantur, nisi quod, pro solutione saponis, sulfuris flauui contusi vnc. semis, salis tartari drachm. tres, in duabus decoctionis libris ebulliri præcepi. Quum ægrotta tunc tam longe ab vrbe abesset, vt quotidie inuisere eam non liceret, peculiares regulas præscripsi, si quid forte accideret, obseruandas, &, quavis data occasione, curiose inquisiui in effectus medicaminis, curationisque progressum. Comperi pilulas nihil ægritudinis, nullum ad vomitiones vel deiectiones nisum ciere. Atque licet, vti supra innui, perquam facile ad saliuæ fluxum mercurio excitari potuerit, plane tamen hoc remedium nullum oris afflatum excitauit. Post decem solum ab usus principio dies, die serena gelida foras progressa, exiguum faciei inflationem, & sputi tenuis limpidi ejectionem passa est. Sed calore conclavis & lecti, sumtis ex more pilulis, altero mane & tumor & saliuæ fluxus cessauerant, postquam ea nocte sudarat largus solito. Quamdiu hoc remedium usurpauit, semper leni cutis madore versus diluculum perfusa est. Interea delapsæ sunt sensim crustæ, ita, vt intra quatuor circiter hebdomades penitus remotæ essent: iamque duos fere annos fœmina illa, sine vlla reddituræ ægritudinis apparitione, transegit.

In alio morbo cutaneo aliud habui prosperæ eius medicaminis efficaciam exemplum. Homo XXIII circiter

B

annos

annos natus, insignem faciei turpitudinem ostendebat, ex multis magnis maculis pustulisque rubicundis. Eruptione hac subito post frigoris incautam perceptionem contingente, venæ sectio, vesicatoria, frequens purgatio, longusque tincturæ antimonii usus, tentata sunt in principio, exigua cum utilitate: hinc succi antiscorbutici, pilulæ gummosæ cum sapone, serum lactis medicatum, & caprinum, usitata diu, non meliore successu: tandem ipsa per sex hebdomades saliuatio remouendis obstinatis hisce maculis non suffecit. Post tot successu destituta conamina, puluerem tandem in praecedenti casu descriptum tentaui, cuius hic itidem æger quindecim bis quotidie grana summis, & recens lactis serum largiter interdiu potauit. Intra menses duos cum huius remedii usu transactos (quo temporis decursu etiam aliquoties medicationis intercapedinem fecimus) facies laetitatem suam cutisque puritatem recepit, iuuante solum versus finem lotione leniter siccante & detergente. Etiam hic æger facile remedium tulit, sine nausea aut torminibus.

Quamvis nunquam huic medicamini venereæ luis curationem a principio concrediderim, reperi tamen illud, quibusdam in casibus, perquam utile esse, ad praepediendum, ne repullularet hæc contagio, & in fecibus eius euerrendis, ubi ratio mihi erat suspicandi, haud raditus per praecedentia medicamina extirpatam esse. Multi enim æ gri in istis casibus nimis subito fese secretrum conclavium limitibus emancipant, & frequenter curationis filum abrumpunt, priusquam medicis ipsorum satisfactum est, ut securitas a lue certa esse videatur.

Vir ingenuus gonorrhœam passus, inque ea sine arte iusta curatus, nimis velociter exsiccato fluxu, quum post aliquot

SPECIMEN I.

9

aliquot menses peiora eius morbi symptomata persentisceret, sine æqua noui contagii suspicione, consilium rogabat meum. In vtroque inguine bubo magnus erat, vlcus (*chancre*) in præputio naturaliter magno & angustiori, atque tum aliquantulum inflammato, tumefacto, & phimosin minante. Necessum duxi saliuam mercurio dulci ciere, qua, cum aptis remediis topicis, vlcus sanatum est. Quum vero spes nulla dissoluendorum bubonum appareret, applicata sunt, quæ pus facere solent; tandem escharoticis exstirpare eos conati sumus. Ante vero, quam id omnino perfici posset, quum negotiis foris vrgentibus incumbere necessum haberet æger, & ad diei vnius iter in rus commigrare, proculque degere, partes illas citius, quam voluissemus, cicatrice obduci passus est. Ego vero, vt, quantum fieri posset, præpedirem prauios effectus, inde metuendos, quod medicatio non ex voto continuata & absoluta fuerat, præscripsi id, de quo ago, remedium, hac ratione:

R. Sulf. aurat. antim. calom. non præpar. a. drachm. duas: calomeli in crassum puluerem redactum lœuigetur super marmor, per vices addendo sulfuris antimonii portionem, & diuturno tritu fiat puluis subtilis: hinc

R. puluer. præcedent. vnc. sem. gumm. guaiac. drachm. tres resin. guaiac. drachm. vnam, balsam. capiui q. s. vt fiat massa pilularis, ex cuius singulis drachmis formentur pilulæ XII.

Ex his pilulis tres quoquis mane, totidemque vesperi, sumere iussi ægrum, cum poculo decoctionis lignorum, eiusque etiam ordinario potu. Aliquot hebdomadum spatio abierant reliquiæ bubonum omnes: quamuis, vti postmodum

B. 2

dum

ACTORVM EDINBURGENSIVM

dum fassus mihi est ipse , fieri non potuerit , vt exigua aliqua diætæ vitia ruri semper euitaret , potumque ordinariū præscriptum biberet , cui serum lactis substituit.

Aegrum nactus sum virulenta gonorrhœa & alterius inguinis bubone affectum. Post solitas præceptiones , de diæta , potu , reliquis , & penetrantis fatus vsum , cœpi curationem cum dosibus quibusdam mercurii dulcis , quas una aut altera pilularum coiliarum præbitione expurgaui. Alternis ita viciis ter quaterue repetitis mercurio & purgatione ; vſitatisque per interualla refrigerantibus , balsamicis , detergentibus , pro circumstantiarum & symptomatum ratione , quantitas effluentis materiæ minuta est , colorque & consistentia in meliorem partem mutata. Sed semper aliquis manebat effluxus , & bubo , quamuis a principio paruus , haud multum minuebatur. Præscripsiſ igitur pilulas præcedenti in casu laudatas , cum decocto lignorum , quibus intra XX dies exſpectationi mæ satis factum est , & curatio perfecta. Aeger hic domi egregie occlusus manens , & tenui refrigerante vietu vtens , dum pilulis & decoctione vtebatur , largiter sudabat.

Homini vlcerosam vrethræ humiditatem (*a gleet*) patienti , eamque non admodum insignem quidem , sed quæ , post gonorrhœæ curationem , quinque vel sex mensibus perdurarat , easdem pilulas , eadem , qua prius , dosi præbui , quibus , cum vſu aquarum Bristolensium , intra duas hebdomades sublatum est malum. Hic non quidem vniuersali sudore immaduit ; sed circa inguina & pubem plus solito madoris , idque aliquanto fœtidius , experitus est.

Hæc præcipua sunt , quæ adhuc feci , cum hoc remedio experimenta , e quibus concludere mihi licebit , non solum

SPECIMEN I.

II

solum immune id esse ab asperioribus plurium mercurii & antimonii præparationum effectibus ; sed efficax etiam ad tollendas obstrunctiones, in remotissimis quibusdam angustissimisque corporis canalibus formatas ; & in eliminandis incrementis obstinatarum quarundam ægritudinum, promota diaphoresi insensibili , aut sudore : ea quidem lege , vt prudens sit usus , & diæta apta , aliisque, pro re nata, & ægri ratione , remediis adiutus. Neque vero animus mihi est, id periclitari, vt explicem directos seu immediatos effectus huius medicinæ in solidas aut fluidas corporis partes, aut vt, in quibus præterea morbis utile queat esse, determinem.

Non ea mihi est, collectores actorum medicorum nobilissimi, ambitio, vt hoc, quod vobiscum communicauimus, medicamen inuenti noui titulo commendari merere putem, aut casus, quos retuli, suo merito in collectione vestra commemorandos. Non dubito, quin alii medici fulfillur auratum antimonii, alterandi & diaphoresin mouendi scopo usurparint. Calomeli etiam frequenter in exiguis dosibus præbetur, eodem fere consilio. Quibus rebus alii forte ante me inducti fuere, vt eadem medicamina coniungerent. Quum autem eius me rei exempla reperiire non meminerim, non incongruens schemati vestro existimauimus, si effectus, ex huius medicinæ usu a me obseruatos, ob oculos vobis ponerem. Quod enim ad me attinet, persuasus sum, rem esse non nullius pro medicis momenti, veros genuinosque remedii cuiusquam, quantumcunque simplicis & communis, effectus certis experimentis confirmatos habere ; persuasus denique, huius generis obseruationes æque utiles esse posse, quam quibus non nisi prodigia naturæ referuntur.

ACTO-

ACTORVM EDINBURGENSIVM

SPECIMEN II.

EXERCITATIO DE AURIGINE.

Vbi theoreticæ doctrinæ vnice ad resoluendam quæstionem aliquam theoreticam applicantur, vtile equidem est falsos earum colores luci exponere; ast vbi eo adhibentur, vt naturas ægritudinum explanent, & vel directe, vel per consecutiones sat speciosas in ipsam therapeuticam medicinæ partem influxu quodam suo introducantur, debent sane examinari penitus, vt aut momentosæ veritatis obtineatur confirmatio, aut extra aleam res publica collocetur, quo minus per errorem aliquem periculosum seduci queat. Hoc pacto vt publicis commodis inferuiam, propositum mihi est, examinare caussas morbi perquam vulgaris, auriginis, cuius quidem tractatio a plerisque medicorum systematum auctoribus ea instituitur ratione, quæ, me quidem iudice, prauos effectus inducere apta est.

Inter frequentiores iæteri caussas a quibusdam maximi nominis auctoribus recensetur obstructio vasorum hepatis extremorum capillarium, quam ab inflammatione, scirrho, pituita, reliquis, pendere posse dicunt. Ego vero e contrario fieri non posse reor, vt obstructio vlla in extremitatibus vasorum hepatis sanguineorum hunc morbum producat, nisi in peculiaribus quibusdam casibus, vbi remotæ instar caussæ agere queat: qua de re infra mentio nem

nem iniiciendi erit locus. Negationis huius probationem fundare velim in natura secretorum liquorum omnium, qui nunquam in composita humorum corporis nostri massa apparent; sed tum demum incipiunt diuersas suas proprietates euoluere, posteaquam a reliquis succis per sua organa secernentia separati fuerunt: atque tum quoque eorum qualitatum, quæ vulgo ipsis adscribi & ex quibus dignosci solent, participes non esse videntur, donec ulterius præparati & in largiores aliquos canales intrufi sint, vbi quantitas ipsa occasionem examinis nobis præbet. Quod si, ita secreti atque præparati, cum aliis postliminio humoribus, sine noua compositionis suæ mutatione, remisceantur, tunc omnino evidenter suis sese effectibus pateficiunt. Quandoquidem igitur particulis, ad componendum quemquam nostri corporis liquorum destinatis, proprietates eiusmodi liquorum ipsæ tribui nequeunt; perspicere equidem non possum, quomodo particulæ ad bilis compositionem facientes perhiberi queant bilis effecta producere, dum adhuc separatæ nunquam fuerunt. Plane cernimus, si qua secretio aliorum liquorum retinetur, qui colore, odore, sapore distinguendos se nobis præbere apti sunt, nusquam sese eos alias in naturali sua forma ostendere. Ita, exempli cauſa, in homine hydropico, cuius vrina vel compresſione, vel obſtruſione vaſorum renalium ſuppreſſa eſt, abdomen inde & tunica cellulosa magnopere extenſis, non inuenimus aquas in hiſ cavitatibus extra vaſa stagnan-tes realibus vrinæ notis ſeſe discriminandas dare. Immo in cutiſ renunque euacuationib⁹, adeo ſibi inuicem ſuccedaneis, vrinam per cutim exſtillare æque non obſeruare licet, ac quicquam fudori ſimile per veficam expelli. Ab hiſ aliisque ſimilibus exempliſ colligere velim, obſtruſio-nem

nem sanguineorum hepatis vasorum, si, quatenus talis est, vnicce consideretur, neque biliosas particulas cum reliquis liquoribus, qui per totum vasorum sistema circulari debent, remiscere, neque adeo icterum accire posse. Video autem ratiocinationes, quæ a posteriori fieri dicuntur, multo maiorem reliquis ad conuincendos circa eiusmodi res animos vim habere: ideoque præterea obseruo, si particulae ad componendam bilem aptæ omnes bilis effectus arcessere possent, necessario consequi, quoties eiusmodi particulae in magna quantitate ex portarum vena ad cavaam ablegarentur, icterum effici debere, eumque adeo semper appariturum esse, vbi insignis aliqua hepatis obstructio contigerit. Quotidiana nihilominus praxis & obseruationum copia ad nos transmissa docent, violentas hepatis inflammations, graues abscessus, immo scirrhos totum id viscus occupantes, sine vlla auriginis apparitione euenisse. Exempla adeo obuia sunt, vt auctores excitare opus non habeam. Vide solum Boneti collectiones. Conclusio itaque necessario ex his factis consequens negat obstructiones esse caussas icteri directas, seu, vt aiunt, immediatas. Obiici potest, me hactenus nimis abstracte considerasse obstructiones, tamquam obicem positum transitui liquorum per extrema vascula; quando necessarias huiusmodi obstructionis consequentias respicere debuisssem, quæ, ex ipsis principiis meis, phænomenis omnibus soluendis aptæ esse videantur. Hæ vero consequentiae sunt distensio obstructorum canalium, & compresio, quam adiacentibus partibus inferre debent, quas inter varias esse oporteat, quæ bilem iam secretam contineant, vnde hæc retro in vasa sanguifera remeare cogatur.

Vt opinionem meam de hoc argumento distincte

ex-

exhibeam; necesse erit considerare diuersas hepatis partes, quibus eiusmodi obstructio impingi potest. Si in concauo contingit latere, in partibus prope ad magnos ductus bilarios sitis, siue eximie magna est intumescencia, concedam transitum bilis in intestina exinde retineri, atque ita ad remotas icteri cauas eiusmodi obstructionem referri posse. At tamen euictum mihi nondum est, hunc effectum ab hepaticorum ductuum solorum compressione induci, nisi cystica etiam bilis impedita sit, quo minus in intestinum duodenum effluat. Fundamenta dubitationis meæ, an bilis hepatica hunc morbum efficere queat, indicabo. Tam ex sapore hepatis in aliqua distantia a cystide fellis, quam ex experimentis cum collecta seorsim bile hepatica institutis, clarissime reperimus, liquorum eam esse blandissimum, cum perquam exigua proportione particularum proprie biliosarum. Præterea organa secretionis in corpore pleraque videmus apta esse transmittendis particulis biliosis vna cum reliquis suis liquoribus. Ita saliuæ ictericorum amaricat, vrinæque & interdum sudores linteis flauedinem croceam illinunt. Denique insignis est quantitas eius bilis, quæ cum tenerioribus alimentorum particulis continuo ad massam sanguinis refunditur, & probabile est, quarumdam harum compositionem vi digestionis immutatam non esse: nullo tamen modo mixtio eius in statu naturali appetet. Ex his observationibus colligi posse videtur, biliosam hepatis lympham gradatim ita cum sanguine misceri posse, vt seipsum non manifestet: præcipue quum tam cito per excretionum organa ex corpore emitti queat: quod quamuis etiam non contingere, vix tamen credi potest, tam conspicuum colorem, saporem acrem, violentos effectus, tam subito produci per bilem

C

hepa-

hepaticam, vti quotidie obseruare licet, quamprimum
se se icterus ostendit. His argumentis addere licet defe-
ctum aptorum experimentorum obseruationumque, qui-
bus probari posit, arquatum morbum extra cysticæ bilis
efficaciam productum esse.

Quando alicuius generis obstructions tumor i occa-
sionem præbent, altius aliquanto intra hepar penetranti,
prope ramos pori bilarii, fieri potest, vt transitum bilis
per has vias ex parte sufflaminet, vt per ramos venæ ca-
uæ inde resumi posit. Sed consequentiæ huiusmodi bi-
lis tanto minoris erunt efficaciæ in producendo morbo re-
gio, quam in superiori positione, quanto minor est quan-
titas bilis a transitu ad communem ductum impeditæ.
Vtque eo magis confirmetur, non esse hanc caussam isti
ægritudini progenerandæ adæquatam, notandum est, nu-
merosa exstare exempla tumorum omnis generis in hepate
repertorum, per anatomen corporum, quibus nullum icteri
signum fuerat. Respectu vtriusque, quam posui, hypotheseos,
obseruari præterea debet, insignem efformandum esse tu-
morem, priusquam canalis bilarii parietes, tunica sua lig-
amentosa inclusi, sufficienter comprimi posint, vt, quos
concessi, effectus habeant. Atque, quando sat magnus est
tumor, angustare prius debet ipsos portarum venæ ra-
mos largiores bilariis ductibus contiguos, adeoque prius-
quam hi bilis secretæ insignem diminutionem admittant.
Si diminutio huius liquoris æqua proportione respondet
coarctationi vasorum, transitura est bilis; si non omnem
ductus transmittere posint, non nisi parca erit, quæ in-
tercipiatur, quantitas, effectus exiguus.

Vltima hypothesis, quam remouendam ponere debo, est
obstructio

sqd

obstructio remotiorum a magnis ductibus bilariis vasorum; vbi, quum tubuli parui sint, minor etiam obstructorum canarium distensio maiori in illos efficacia pollebit. Ex iis, quae iamiam dicta sunt, videbitur necessarium certe esse, ut obstructio eiusmodi sat vniuersalis per hepatis parenchyma supponatur, quo id inde effici posit, quod communis opinio arguit. Sed tunc quoque obuium est, ea vasorum, quae obstructa ponuntur, ipsos esse canales, qui liquorum secernendum suppeditare debent, vnde ipsa secretio præpedietur: id quod itidem perficietur compressione, a tumescentibus vasorum inducta tubulis exiguis, e quibus bilarii canales suboriantur, id est, ipsi secretionis organis. Si qua igitur est in mea, pro qua dispergo, sententia veritas, particulas nondum secretas, quae quidem elementa componenda bili propria esse queant, icterum efficiere non posse, licet mixtae sanguinis nostri massæ maneat, sequitur, neque ex tertia illa hypothesi auriginem suborituram esse.

Consideratio hæc obstructionum, in diuersis hepatis partibus, rationem, ut opinor, aliquam largitur existimandi eiusmodi caussam ictero gignendo ineptam; quos cunque etiam alios in perturbanda œconomia animali prauos effectus habere queat.

Quicquid fati doctrinam obstructionum hepatis manet, id etiam therapiam icteri alterare debet: atque si tantum abest ut hic morbus obstructions pro frequenti sui caussa agnoscat, ut haec potius ipsum inducere non possint; tunc medicamenta, quae deobstruentia audiunt, earumque classes diuersæ, peculiari materiæ obstruentis indoli adaptatae, ad remouendum potius aut mitigandum aliquod symptoma, palliandosque quosdam auriginis effectus, in-

uentia, quam ad sanandum radicitus morbum destinata vi-
debuntur.

Ex his, quæ haetenus innui, facile colligent lecto-
res, vnicam, cui ego quidem vim icterum producendi
afferere velim, caussam esse obstructionem seu retentio-
nem bilis in ductu communi cholidacho, aut in cystico,
aut in hepatico forsan communi paucorum hominum,
quibus hepatica bilis multo sit, quam vulgo reperitur, va-
lidior.

Eiusmodi obstructio a caussis multifariis depende-
re potest, verbi caussa a tumoribus magnis, aut abscessi-
bus, in sima hepatis, vel alia quacunque parte magnis
ductibus vicina; ab inflammationibus violentis aliis-
que tumoribus in ipsis horum ductuum tunicis; ab ipso-
rum parietum concretione; a violentis spasmis in intesti-
no duodeno, qui venenis aut affectibus hystericis induci-
queunt; a magnis inflammationibus distensionibusque eius
intestini; & præcipue a calculis vel concretis a cystide de-
ciduis.

Sufficienter ostendunt anatomici practici, quam
frequenter ibi concreta aliqua reperiantur. Vix est ex his,
qui obseruata sua ex anatome corporum humanorum lit-
teris confignarunt, qui historias huius generis omiserit.
Attendi solum velim, quanta earum varietas in *Morgagni
adversariis anatomicis*, & in *actis physico medicis* sit descripta,
item in *Boneti sepulcreto*, vbi numerosa exempla collecta
sunt huiusce morbi, icteri, procedentis ab hac caussa,
calculis. Maximorum etiam medicinæ practicorum bene
multi calculos annotarunt, sublato ictero plurimum deie-
ctos. Quam ob rem mirum est, tam parce hodie ad hæc
concreta respici in ætiologia curationeque huius ægrotati-
o-

tionis; ut potius non nisi per transennam mentio eorum fiat, tamquam caussæ, quæ dari possit, sine regulis vllis, ad tentandam expulsionem pro sanatione perficienda. Vnice id inde esse puto, quod calculi, seu concreta, fere non obseruata elabantur, ob ingratum inquirendi laborem.

Considereremus præterea, quam exacte lapsus calculi ex vesica fellea in ductum phænomena explanet omnia, in iætero vt plurimum contingentia, quod ab aliis caussis non ita fieri videtur: atque tunc merito respicienda nobis erunt concreta illa, tamquam multo frequentior, quam vulgo reputatur, huius morbi caussa.

Si exiguus in ductum labitur calculus insignis bilis copia transire adhuc potest: &, licet vrina ægri obscuriori colore tingatur, cutis sine tintura manet; cystis gradatim bile repletur, vnde sensus ponderis in dextro hypochondrio; secretio in hepate imminuitur per maiorem, quæ bilis euacuationi opponitur, resistentiam; quantitasque sanguinis in venam cauam refusi maior est, ex quo plenitudo vasorum corporis, hinc sensus repletionis laffitudinisque, cum propensione in somnum. Vbi sat magna bilis quantitas redundat ad sanguinem, icterus appetet. Pro situ calculi mutatione, remissionses morbi, aut incrementa sunt. Vbi concretum adeo magnum est, vt parietes ductus premat, dolores circa inferiorem ventriculi partem inducit. Si insignius irritat, dolores acutiores & lancinantes magis euadunt, &, stomacho per consensum affecto, vomit æger, vti in calculo renum. Perdurante irritatione, pars illa, vbi hæret calculus, inflammatur, simulque statim afficiuntur vicinæ partes. Inflammatio & dolor febrim producere valent. Si calculus penitus ductum obstruit, excrementa flauedine tingi nequeunt, neque officium

cium suum intestina peragent, ob bilis defectum, quæ, in sanguinis massam resumta, vrinam, cutim, oculos, reliqua tinget. Si confestim calculus in ductum illabitur, & omnino illum obstruit, subitaneus enascitur icterus. Si velociter protruditur in intestinum, æque subito remouetur morbus, liberato bilis transitu. Si plures sibi inuicem calculi succedunt, remissiones ostendit ægritudo. Quoties eximum inter eorum prolapsus interuallum fuerit, toties periodicas reuersiones habebit. Diarrhoea sæpe hunc morbum sanat, aut consequentia potius sanationis est. Quamprimum enim calculus intestino illabitur, bilis tenta consequitur magno flumine & diarrheam excitat, quo tempore lapillum vnum vel plures inter excrementa alui reperire licebit.

Ita non solum ex concretis seu calculis iusta ratio phænomenorum icteri dari potest; sed ex iis etiam solis effectus variarum caussarum manifestarum intelligitur. Morbus hic, exempli gratia, oboriri notatus est, ex violenta ira, equitatione, emetico, paroxysmis febris, & variis aliis conuulsionibus, aut agitationibus corporis: quod non alio rationabilius modo contingere imaginari possumus, quam calculo, fluctuante prius in cystide fellea, his vero corporis concussionibus eiecto. Inde mihi in promtu est existimare, decipi frequenter posse medicos, vbi spasmos, inflammationes, colicas, ingesta acria, & similia, in ictero procreando accusant, per solam bilarii ductus constrictionem, sine concreti vlliis ope. Etenim, in his casibus, aut non adeo permanentes possunt esse caussæ, (verbi gratia, spasmi non tam diu, ac de ipsa ægritudine constat, duraturi esse videntur) aut illæ caussæ non tam cito morbum inducent, quam ipsæ apparent, quod de inflam-

flammatione valet. Atque si hic affectus a variis memoriarum caussarum dependeat, non tam cito, ac frequenter fit, euaniturus fuerit. Facilius igitur concipitur, quoniam pacto violentæ eiusmodi occasiones propellant concretum aliquod, caussam morbi directam, seu immediatam.

Itaque, si repertum est, calculos frequentissime originem huic ægritudini præbere, sine accessione ullius ex reliquis iis causis, quas aurigini producendæ sufficere supra concessi; sique hæ ceteræ caussæ adeo, ut monui, aptæ sunt propellendis concretis seu calculis fluctuantibus, tam saepè in cystide obuiis; sequitur, medici ad ægrum ictericum acciti primum quidem officium esse, ut consideret, an aliqua alia caussa manifesta se ostendat, sineulla calculi indicatione, vtque, pro peculiari morbidæ huius caussæ indole, remedia præcipiat; verum, vbi vel symptomata calculi in bilariis viis hærentis cum reliquis complicantur, vel euidens ratio nulla est, quæ raro fore videtur, cur non suspicari liceat, calculos in partem occasionum huius morbi venire, ibi singulariter, in curationis indicationibus, ad huiusmodi concreta respiciendum esse.

Obiectum esse scio notioni huic, de tam frequenter ex biliosis concretis oriundo ictero, non repertos esse lapides in ductibus illis, quamuis in corporibus ictericorum dissectis quæsitos; in aliis vero fixos in ductibus calculos hæsisse, sine prægresso ictero. Ad priorem obiectionem responderi potest, concessum iam a nobis, posse alias causas originem huic morbo præbere. Et plures casus supponi queunt, vbi, licet calculi produixerint icterum, postulari tamen nequeat, eos in corpore reperiri debere. Ut specimen inter multa ynum adducam: si æger exhaustus diarrhœa intereat, quæ, illabentibus in intestina concretis,

tam

22 ACTORVM EDINBURGENSIVM SPECIMEN II.

tam frequenter contingit , vanum fuerit ista intra corpus reperiunda exspectare. Altera obiectione æque parum probatur, quod probandum contra me foret, nisi singulares circumstantiæ variæ accurate simul obseruentur. Verbi gratia : satisne diu calculus in ipso ductu iam hæserit , ad producendum morbum , an vero solum mortis agone eo fuerit propulsus ; magnusne satis sit , eumque situm habeat , vt cursum bilis impedire possit , an adhuc transitum huic liquori concedat ; sanumne sit hepar , & aptum honæ bili secernendæ , an potius ægre aliter habeat , & vel parvam aut nullam perfecerit secretionem , vel liquorem a bile diuersum ? Quod si enim circumstantiæ posteriori ex his , quos alternativam proposui , modis se habeant , obseruatio ista vim obiectionis non habebit.

Vt autem ad curationis methodum redeam , iam proposui rationes , quibus permotus existimo , medicos in longe plurimis ictericorum ægrorum casibus ita agere debere , vt ad calculos expulsionem molientes attendant . Atque hoc eo adhuc magis necessarium videbitur , si causas præter hanc ceteras reputemus , quarum varix aut curationem non admittunt , aut vix patiuntur vt multa de successu curationis in iis tractandis spondeamus . Tales sunt largi prope ductum biliarium magnum tumores , venena , aliæque . Ab his igitur si abstrahamus , idque attendamus insuper , ceterarum caussarum plerasque non sufficientibus sese signis distinguere , vt a concretis dignosci queant , haud inepte affirmari posse videtur , de aurigine magis , quam de alia quaquam ægritudine dici posse , curari eam debere cum una indicatione generali , expellendorum calculatorum ; spasmos vero , inflammations , tumores , cetera , consideranda esse tamquam symptomata concomitantia , quæ in curando ægroto omnino respici debent , dum præcipuam indicationem prosequimur . Medicamentorum vero adhibendorum forma atque intentio perquam prope ad eam accedat oportet , quæ ad calculos renum vreteribus impactos ex usu est , quippe cum hac , quam modo tractavi , materie , per analogiam eximie validam , conspirantes .

DIS-

DISSESTITO EPISTOLARIS.

VIRO ILLVSTRI

IOANNI SAMVELI NOB. DOM. DE BERGER

S. P. D.

PAVLVS GOTTLIEB VVERLHOFIVS.

Quum nuper tam felici mihi esse contingeret, ut Cellis apud TE per horulas aliquot versari, tuæque & humanitatis, & doctrinæ, & experientiæ, & bibliothecæ splendidae thesauros admirari, atque in meos usus vertere liceret; communicasti, inter alia cimelia, mecum volumina priora duo rario-
ris adhuc in Germania operis, cuius tertium iam prodiisse cum gaudio comperi, *ad eorum societatis Edinburgensis medico-
rum. (medical essays and observations revised and published
by a society of Edinburgh. 1733. 1734.)* Maximas eo nomine
gratias ago, quod eius libri penitiorem notitiam acquirere
per TE concessum fuerit. Institutum sane societatis nobil-
le est, & in magna artis salutaris compendia atque incre-
menta eo magis paratum, quo insignior in eo elucet collec-
torum eruditio, diligentia, sinceritasque, & iudicandi fa-
cultas, & quo propius concinniusque omnia ad medicinæ
culturum utilitatem referuntur. Observations barometri-
cæ, thermometricæ, hygrometricæ Edinburgenses, cum
ipsis tempestatum successionibus, similibusque observatio-
nibus ex aliis locis comparatae, exacte recensentur: mor-
bi epidemii sporadesque enarrantur: observations atque

D

exer-

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

exercitationes circa historiam partis ex arte nostra cuiusunque, circa medicamenta simplicia & composita, operationes & experimenta chemica, anatomen, œconomiam animalem, theoriamque & praxin tum medicam, tum chirurgicam, vberim exhibentur, additis figuris æri curate incisis: denique non solum detectionum nouarum in quacunque medicinæ parte vbicunque factarum, sed librorum etiam medicorum recens vbiuis terrarum editorum vel promissorum, aliorumque rei publicæ medicæ memorabilium catalogus, quam fieri potuit exquisitissime, sistitur. Neque fere quicquam ex remotiorum nationum regionibus effugere posthac diligentissimorum collectorum studia posse videtur, quum Germanorum nostrorum observationes librosque iam adeo curiose enarrauerint, vt vix in ipsa Germania æque nota forent, nisi inclitum Norimbergense commercium priores eruditionis medicæ defectus eam in rem suppleret: cu[m] tamen commercii suppetiis etiam feliciter fruitur Edinburgensem societas, & supplet quædam, quæ illi inferta non sunt.

Edidit, verbi caussa, a. 1732. Erfurti cl. D. IO. VVILHELMVS ALBRECHTVS, professor iam & decus nouæ academiæ regiæ Göttingensis, *observationes anatomicas circa duo cadavera masculina*. Distracta sunt breui exemplaria opusculi, adeo vt neque mihi legendi copia fieri potuerit, qui iam cl. auctori tam prope loco & amicitia iunctus sum. In studiosissimas tamen collectorum Edinburgensem manus venit, ex quorum T. I. p. 337. sq. inter inuenta noua disco, amicum illum nostrum & reperiisse vesicam hominis robusti in sex tunicas diuisibilem, e quarum numero musculosam eximendam putat, quippe meris fasciculis fibrarum irregularibus constantem; β partem injectionis cereæ cinnabari

tin-

tinctæ, quæ viam sibi parauerat inter cellulares membranas, quibus tunicæ venæ alicuius tegebantur, puluerem tingentem post se reliquisse; & injecta cera in venam pulmonariam sinistram, repletam etiam esse venam aliquam adscendentem in extima pleuræ parte, ad quatuor vel quinque pollices a vertebris, ramulosque vicinis partibus impertinentem. Quæ res, vltiori indagine dignissima, si perpetuo, vel frequenter ita se haberet, vt pulmonaria & thoracica vascula inter se confluarent, magna sane multis physiologicis pathologicisque obscuritatibus lux affundi posse videtur.

Inter exercitationes vberiores, quæ maximam horum actorum Edinburgensium partem absoluunt, oculos meos tum plures curiosissimæ aliæ, tum inter alias ad se conuerterunt duæ, altera, quæ vol. I. p. 46. sqq. exstat, de medicina aliqua alterante ex mercurio; altera de aurigine, quam p. 305. sqq. exhibent. Prioris auctor est cl. D. ALEX. PLVMMERVS, collegii medici socius & professor academiæ Edinburgensis meritissimus; alterius scriptor nomen adhuc reticuit suum. Constitui latine vtramque reddere, volante calamo, vt explorarem, an hoc specimine Germanorum nostrorum pluribus, quibus vel linguæ, vel libri copia non est, idem ad huius integri cognitionem lectionemque desiderium exstimulare possum, quo ego in tertium volumen propediem adipiscendum feror.

Medicamentum illud alterans ex mercurio, quod prior disputatio candide detegit, feliciter in tuam, vir illustris, praxin assumtum, & ad aluum saliuamque ciendam minus aliis mercurialibus ferri, & sine molestia penetrantisimum efficacissimumque esse, merito laudasti mihi: & ego iam ex eo tempore plusculis ægris meis cum optato illo successu

præbui, præbuitque suis vir summus, amicus noster excellentissimus, AVG. IOANNES HVGO, postquam illud sub titulo pulueris alterantis Edinburgensem in pharmacopeas nostras introduximus. Constat, vti ex ipsa exercitatione patet, æqualibus partibus mercurii dulcis sexies sulfurum ex purgantibus catholici titulo dudum nobis visitatum, v. obseru. de febr. p. 77. neque minus laudabile existimauerimus tenerum illud sulfur tertius præcipitationis, in cl. D. ROEMPLERI dissert. de ratione etiæ tarrho suffocatio descriptum & tantopere commendatum, de quo etiam vid. celeb. IVNCKERI conspect. chem. p. 1023. Quod cl. PLVMMERVS præferendum existimat sulfur antimonii Salæ vereor ne nimis simile sulfuri communis sit, & regulinis particulis, quæ teneriores, & sulfureis disceptæ & immixta, præcipuum sulfuris antimonii vim constituunt, magis destitutum. Ipsæ enim sulfureæ a communis sulfure non differunt. Id vnum adhuc noto, ab ill. HVGONE mihi relatum, aliquoties ipsum iam antehac ægros tinea chronica, achoribusque, & scrophulis affectos feliciter curasse, continuatis per aliquod tempus pulueribus, commixtis ex succino, exiguisque dosibus mercurii dulcis, & purgantibus catholici: quæ res candidissimi obseruatoris Edinburgensis coniecturam confirmat, qua ab aliis forsitan ingenii similia conamina, similes miscelas duorum illorum potentium medicaminum, sponte etiam excogitari potuisse, vt cum ipsius inuento conspirauerint, existimauit. Pari ratione martialium cum sulfure antimonii mixtorum magnam in chronicis morbis variis efficientiam, ac insigne virtutis augmentum, & nos saepè obseruauimus, & obseruando præiuerunt ill. HOFFMANNVS in no-

tis

tis ad Poterium, & b. LENTILIVS in iatromnematis.

Dissertatio de aurigine in eo maxime est, vt probet, eum morbum non proxime & proprie hepatis obstrunctioni bilisque secretioni impeditæ, sed bili, maxime cysticæ, iam secretæ & regredienti, eiusque itineri obstructio, idque plerumque ob concreta calculosa in fellis cystide, deberi. Summam sane attentionem merentur curiosæ illæ obseruationes apud BONETVM & alios de ictero ex vesicæ felleæ calculis collectæ, item cl. D. BEZOLDI dissert. de cholelitho, & amici nostri doctissimi experientissimique cl. D. IO. GVNTHERI ALBRECHTI, poli tri Hildesiensis, scrutinium icteri ex calculis vesicæ felleæ 1696. editum. Et recte quidem cl. BIANCHI hist. hepat. p. 322. disquisitionem de ictero ita claudit: "Iamque cum notabili animaduersione tractatum absoluamus: icteros pertinatores, vel sanatos & saepius facileque recidiuantes, exinde incurabiles biles redditos, a calculo cystidis felleæ fere produci, cadauerum sectiones quam plurimæ nos & Baglium docuere."

Neque assensum nostrum exprimit ingeniosissimus PECHLINVS obseru. 58. L. 1. quam inscripsit: icterus sine obstruktione folliculi fellei, & eiusdem obstrukcio sine ictero, vbi icterum a vesica fellea obstructa rarissimum esse, & fallere nos obseruationum indices contendit, quando eum ab obstruktione vesiculae felleæ, nunc etiam a calculo, repetunt: & vero esse similius, in ipsa massa sanguinis latere fermentum, archeumue operantem, qui secretionem, solidi texturæ debitam, in fluido peragat, & το χολωδες centrale occultumque in superficiem euocet. Non in manus nostras peruenit laudata in eleganti disputatione celeb. VATERI de ictero ex contusione dextri hypochondrii mox orto, & per diarrhoeam criticam breui soluto, dissertatio cl. D. D. a

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

BERGEN, professoris medic. primar. Francofurt. de *bile icteri caussa facta*: neque adeo quæ doctissimo viro, cuius scripta politissima multo cum fructu peruvoluere soleo, eam in rem sit sententia, aut dubitatio, adhuc edoceri potui. Meæ vero tenuitatis iudicio bilis veræ in sanguine, cute, oculis, vrina, saliuia, præsentiam, in digestionis œconomia absentiam, vel defectum, omnia signa ostendere videntur: quamuis regressa ad sanguinis massam, & alieno loco, alienis particulis, post factam secretionem, implicata, aliena quædam phænomena exhibeat, neque, si ita lubet, eodem iure, quo suo in loco, bilis vocari mereatur, amaritudinem præcipue, præterquam in saliuia, vix ostendere solita, infraacto & temperato sale bilis amaro in aliis liquoribus.

Vocabimus tamen ita, quia scholæ notio, & præcipua seu specifica differentia, & rei origo conspirat. Si quid enim iudico, oriri vix ac ne vix quidem potest peculiaris iste & specificam sui generis tinturam imprimens color, symptomatumque confluxus, nisi ex regurgitante, vt aiunt, seu redundante ad sanguinem, & inde ad arteriolas etiam lymphaticas & corporis habitum refusa bile vera, quæ iam præparata erat, & ab hepatico sanguine secessum fecerat, siue hepaticam, siue cysticam, siue utramlibet existimes. Nullo experimento probari, nulla ratione sufficienti euinci, nullo simili œconomiae animalis exemplo illustrari posse videtur, saponem illum naturalem, exquisite & singulari flauedine tintum & tingentem, in globulos sanguine specificè grauiores collectum, tanto œconomiae corporis artificio in hepatæ, post præparationes varias, componi, separari, secerni solitum, magnisque in vicinia usibus, per icteri symptomata vitiatis, destinatum, extra eius artificii con-

consortium, solo intestino sanguinis motu, vti PECHLINVS vult, vel nescio cuius archei afflatu, ex ipso sanguine fese euoluere, talibusque phænomenis in apricum prodire posse, vti in aurigine sensibus obuium est. Talia si sanguis, vel intestinum eius fermentum, vel archeus, præstare ex se possit, si talem ac tantam συγκριτικήν & διαγνωστικήν potestatem talia haberent, tanto organorum & œconomiæ mechanicæ apparatu opus non fuisse videretur, quantum secretiones omnes, & biliosa præcipue, requirunt.

Vasis vero resorbentibus venofis ad cauam venam tendentibus, quibus alibi continuo humores varii in statu fano & morbo, medicamentorum particulæ, balneorum humiditates, mercuriales globuli, introrsum fuscipiuntur, quæque, pro communi œconomiæ corporis ratione, in confiniis secretæ bilis tam hepaticæ, quam cysticæ, itidem dubio procul hiatus offerunt, reduci utramque ad sanguinis massam posse, nihil vetat. Ad certum tamem raritatis gradum, eorumque hiatuum proportionem, attenuati præter naturam sint oportet, & in serum biliosum conuersi spissiores bilis globuli, vel intestino motu, & crazeos cohaesionisque perturbatione, vel spasmorum siue idiopathicorum siue sympatheticorum impetu, vel utrisque. Protrusi etiam sint oportet in ista orificia motibus retrogradis, vt eo adigantur, quo alias non nisi tenue & leue serum, non proprie biliosum, naturaliter inhalat, vtque deinde, vbi ad maiora vasa venerint, vnti iterum, sicut discepti globuli liquidi homogenei solent, bilis veræ imaginem auringosam repræsentare, atque ita per corpus diffundi queant. Concipi hinc potest, quomodo multiugæ cauissæ, propinquæ & remotæ, morbum hunc vel directe, vel indirecte producere, & modo diutius, modo breuius seruare

re

re possint, & qui fieri queat, vt ipse cystidis calculus, vel suo corpore, vel spasmis excitatis, ductum choliodochum occludens, & elabendo denuo aperiens, non semper id efficiat, quod saepissime solet. Scilicet requiritur in ipsa bile, partibusque solidis eam mouentibus recipientibusque, certus habitus, certa agendi patiendique vis, vt regressus ad sanguinem promoueatur. Motus illi anomali bilem iam secretam cohibentes a iusto itinere, & retropellentes, vel, pro caussarum ratione, æque ac aliæ humorum ad aliena loca propulsiones, diu satis durare interdum continenter possunt, vel cum remissione aut intermissione repetere. Si que etiam intermittent, plerumque fit, vt altius iam massæ circulant immixta, vasculisque remotioribus impacta sit morbosa materies, quam vt ipsa aurigo, id est, cutis, oculi, lotium auriginosum, tam cito, cum cessante illa motum & stricturæ peruersitate, denuo cesare queat.

Neque igitur forsan adeo generalis pellendi calculi indicatio, vbiunque icterus appetet, adesse videbitur, vt non etiam aliis dicata indicationibus remedia, per experienciam fidem potius, quam obstructionis hepatis pro proxima caufsa habitæ theoriam reperta, amara, salina, euacuantia, subadstringentia, tonica, martialia, acidulæ, præcipue Pyrmontanæ, multis saepè nominibus commendanda esse videantur. Atque haud scio, an, qui primum ictero laborat, neque alia calculosæ dispositionis indicia habet, in eius vitii suspicionem merito statim venire queat: licet altero oculo ad id respicere nunquam nocuerit.

Vel solus ille infantum plerorumque recens natorum icterus, medicatione vix ac ne vix quidem indigens, a sola noua, post haustum aerem, solutumque umbilicum, & interceptam cum materno corpore connexionem, sanguinis

DISSESTITO EPISTOLARIS.

31

nis circulatione circa hepar , atque inde oriunda irritatio-
ne & strictura, bilisque tenerius cohærentis impetu nouo,
& facillimo regressu , ostendit, quam multi esse queant,
quam multi sint icterici, sine calculi suspicione iusta. Sub
statu epidemio febrium intermittentium , continuarum,
continentium, purpuræ etiam & rubræ & miliaris,
cui declinanti & imperfecta crisi solutæ auriginem succe-
dere sæpiuscule obseruauimus , & alias etiam, tot sæpe vi-
suntur icterici , facile curandi , sine calculi expulsione, ne-
que, sublatis semel anomaliis craseos & motus humorum
fibrarumque , iterum relabentes , vt , licet frequentissime
icteri , præsertim recidiui , pertinacis , exitiosi , cauſſa
continens vel coniuncta sit calculorum , vel concretorum
tartareorum, in cystide progenies atque exinde propulsio,
alias tamen cauſſas haud immerito , sine calculis , sæpe
sæpius concedere debeamus. Quod si igitur per sua se
signa aurigo manifestet , quæ egregie recensentur in
NENTERI fundamentis medicinæ , ill. BIANCHI historia
hepatis , conspectu medicinæ celeb. IVNCKERI , itemque , ne
plures auctores memorem , in peculiari dissertatione ele-
gantissima excell. SCHVLTZII de ictero , tunc omnino,
vti prudenter doctissimus auctor Edinburgensis innuit , &
ad alias cauſſas omnes , & ad calculi forte prolabentis su-
spicionem respiciendum est. Elegans videtur , & his re-
spectibus apta medendi methodus , quam , sat sibi ea in re
conspirantes , quos modo laudaui , auctores exhibent. Ar-
rident etiam præcipue celeb. SCHVLTZII de speciebus
cauſſisque icteri variis , & de ipsis calculis vesicæ felleæ ,
§. 16. & 25. notata. Per placet eius methodus , cautionesque
practicæ , quibus , vbi de toni roborandi indicatione agit ,
hæc addit: "Laudant alii martialia ; sed excell. ALEX. CA-

E

,,MERA-

„MERARIVS plurimum celebrat corticem Peruvianum, quem
 „imitaturus legat dissertationem de usu corticis a febre ad icte-
 „rum extenso. Et quamquam ipse met experienti hanc metho-
 „dum occasionem nondum habui, ab expertis tamen fide
 „dignissimis viris cognoui, quod omnino bene se gerat bac
 „medicatio.

Enimuero ad coercendam secernendæ bilis crasim,
 vt secreta neque concrescendo in calculos dictos apta sit,
 neque turgescat nimis atque attenuetur; ad roborandum
 tum secernentis visceris, tum duetuum ipsorum, spasmis
 & expansione debilitatorum, tonum; ad subigendam, quæ
 circulantibus humoribus vasculisque alienis intrusa est, bi-
 lem; ad reddendum vasis non bilariis, alieno pondere li-
 quorisque peregrini impetu deiectis, robur; & ad dige-
 stiones excretionesque in ordinem redigendas; atque ita
 ad multiplices in ictero calculoso vel non calculoso indica-
 tiones aptum omnino censeri debet tantopere commenda-
 tum a celeb. CAMERARIO remedium: cuius laudata dis-
 sertatio vel sola contemtoribus corticis os obturare debe-
 ret, vt, loco generalium edictorum, limitationes iustissimas
 admitterent, &, omisis conuiciis & infructuosis discepta-
 tiunculis dialecticis, in vnam mem artis merito locupletan-
 dæ, & ab abusibus separandæ, seruatis vsibus, culturam
 per experimenta & analogiam rationalem, conspirarent.

Neque ipsa calculi decidui, tamquam frequentis-
 simæ icteri caussæ, idea huic medicamini, rite usurpato,
 obesse videbitur his, qui propulsionem per fibras tono de-
 ieetas tonicis remedii promoueri considerauerint, & viri iu-
 diciosissimi ill. HEVCHERI, affinis tui, egregiam dissertatio-
 nem de calculo per adstringentia pellendo legerint atque ponde-
 rarint: præsertim cum quid polleat hætonica bilis vitiorum
 anti-

antidotus; in bilariis ductibus aperiendis, iusta que eius humoris crasi, iusto fluore promouendo, aliunde constet, ut & genesin calculatorum felleorum saepe subitaneam, mature data praepedire, & coniunctas, analogas, succedaneas ægritudines biliosas tollere, & multis bilis periculis & molestiis, ictericis vel non ictericis, auertendis apta esse haud im-
merito videatur.

Memoranda omnino in rem præsentem sunt, quæ in libro pereleganti, quem mecum communicare haud grauatus es, ill. CAROLI RICHAE *constitutionibus epidemias Taurinensis*, de febris biliosis ex tertiano genere epidemias a. 1722. recensentur, vbi in variorum emortuum cadaueribus calculi vesicæ felleæ reperti sunt, & vbi nullum remedium, præter corticem peruuianum, mature & iuste adhibitum, pericula multiplicia, acuta & chronica, auertere potuit. Verba huc spectantia exscribam, quia liber in nostris oris rarus est. p. 62. sqq.

“ Totum, quod
 „metuendum erat, maxime ab crassitie ac inertia succo-
 „rum, & bilis potissimum, vt hanc vnam pro cunctis affe-
 „ram, vitellinae, vt aiunt, prassinae, æruginosae, pendebat,
 „cuius haud obscura indicia petere erat ab ipsis excretis iam
 „tum quidem, cum coercita haec adhuc ab ambientis aeris
 „frigore, nec irasci potens, & suopte ingenio excandescere,
 „febres tantummodo intermittentes attulerat. Quantum
 „vero eiusmodi humorum excretio, siue sincera siue varie-
 „gata sit, medicis facesat negotii, norunt practici. Quo-
 „tiescunque enim apparuerit illa, dat semper ansam suspi-
 „candi aliquam prauitatem subesse, quæ morbum reddit non
 „contemptibilem, et si alioqui mitem, quod Hippocrates docuit.
 „Mites vtique aderant, quamdiu intra intermittentium li-

„mites constitere, et si minime contemtibiles, memoratæ fe-
 „bres, facili tum marte superandæ. Vbi vero, saeuientibus
 „inopinato austris, in subcontinuas eadem degenerabant,
 „aut ab ipso statim sui exortu, toto penitus cælo ab in-
 „termittentibus distare videbantur; quibus hic quæso arti-
 „bus enitendum, quibus occurrendum præsidiis, vi quorum
 „ægri, ab imminenti exitio, tuto possent euadere? Nullus hic
 „induciis locus; nulla hic Fabio spes, qua cunctando posit
 „restituere rem. Talis siquidem est eiusmodi succorum natu-
 „ra & conditio, vt nullam ferant, aduertente MERCATO, in
 „exhibendis auxiliis moram, quum certum sit, nullum posse
 „beneficium, gratiam, aut auxilium, a natura recipere.“ Indi-
 catis hinc purgationis, in tali statu, periculis, maiori vero
 & tutioni venæ sectionis vtilitate: “Sæpe, ait, p. 65. sq. pa-
 randus hac methodo erat aditus auxiliis ceteris, ac eorum
 principi, cortici peruviano. - Ne vero quis me putet vana
 loqui; habet methodum, qua cum ego, tum alii plures præ-
 stantissimi huius ciuitatis medici in huiusmodi naturæ febri-
 bus curandis vsi sumus, fusius exponere, eamque non
 nullis curationum historiis ac practicis animaduersioni-
 bus illustrare. Utque ab iis ordiar, quæ, ingruente hy-
 eme, perniciosum characterem induerant, vtpote quæ ne-
 dum securitatem præsidii, sed celeritatem exposcere
 videbantur magis, quam ceteræ, quæ superiore autumno
 prælufserant; consultum iis erat corticem ab initio proti-
 nus exhibere; febrile hoc modo fermentum, vt cum vul-
 go loquar, quodcunque illud sit, vel exiguum prorsus
 ac inconspicuum, vix editum illud, edomando statim, ac
 subigendo penitus, ne elatum magis euectumque nimis,
 ac furens, ingentes deinde tumultus induceret, quibus
 compescendis nulla postmodum artis præsidia sufficerent.

„Quod-

„Quodcunque, aio, fermentum sit, tum quoue in angulo
 „latens occultumque. Non enim hic tot inanes coniectu-
 „ras repetere subit, quas hac in re innumeratas excogitatas
 „scio, ac quotidie adhuc excogitari ab iis, qui artem, su-
 „opte ingenio a vulgi studiis abhorrentem, incertis & ple-
 „rumque falsis opinionibus fœdarunt: an stagnans ali-
 „quid, quod egeat moueri; num fixum quidpiam, quod
 „expetat exaltari; an quicquam exaltatum, quod exigat
 „deprimi; num quid intempestive influens, quod debeat
 „inhiberi; an denique obstruetum quid, quod indicet re-
 „serari? an intra sanguinem rursus constituendum illud
 „sit, vel citra sanguinem, vel vltra? Nos hæc linquimus
 „agitanda iis, qui lites amant, nubemque hinc saepe pro
 „Iunone amplectuntur.“

Exponit deinde defenditque suam sententiam de me-
 senterio, præcipua eiusmodi febrium sede, & „elucet hinc,
 „inquit, sole meridiano præclarior eiusmodi febrium, tum
 „præcipue illarum, quod idem etiam iis absentibus sublu-
 „debat, symptomatis, dirorum nempe abdominis crucia-
 „tuum fomes primarius & prope dixerim natalis locus.
 „Harum olim meminerat BALLONIVS. - Con-
 „spicuum id magis fiet, si, quem illi usum & munus tri-
 „buit præclarissimus MORGAGNIVS, mente recolimus: vi-
 „delicet, ut sanguini, per mesentericas venas ab intestinis ad
 „hepar adscendent, multas in transitu ex iis, quibus copio-
 „se ornatur, adiposis cellulis, particulas oleosas pro sepa-
 „ratione bilis admisceat. Confirmant assertum cadauerum
 „lustrationes, in quibus plerumque bile atro flava turgida
 „vesicula fellis occurrerat, defœtu nempe illius olei, quod
 „in statu naturali, vna cum sanguine, per mesentericas,
 „quæ se se in portam exonerant, venas, hepatici suppeditatur.

„Nonnullis totam *lapillis* refertam inuenimus ; intus
 „forisque ita nigricantibus, potius ut carbones , quam cal-
 „culi esse viderentur. Hosce quidam ex iis, qui præsentes
 „aderant, aderant autem quamplures rerum medicarum ac
 „anatomicarum studiosi, obseruationis confirmandæ percu-
 „pidi, num hi scilicet igni admoti flamمام conciperent,
 „adque extremum usque alerent, lucernæ admouerant, sed
 „leues quidem crepitus edidere, flamمام autem non ser-
 „uauere, quod peculiari vitio eius, in qua concreuerant,
 „bilis accidisse arbitror. Nos equidem id ipsum olim ali-
 „quoties experti sumus, ac pæne totos comburi animaduer-
 „timus. Hos inter rerum fluctus præstantius subsidii genus,
 „ac sacra, pene dixerim, anchora cortex erat , siue inter-
 „mittentis toto sui decursu typum febris retulerit ; siue in
 „acutam migrauerit illa; siue eadem subcontinua ab ortu ex-
 „stiterit, saepeque hinc , obscura inter simulati veluti cir-
 „cuitus vestigia, medentes eluserit ; siue denique , nulla præ-
 „senti febre, alui tormina tantummodo defæuierint. Nul-
 „la hic aduocanda sui generis materia, quæ catharticum
 „suaderet, aut exspectanda medicorum scriptis adeo cele-
 „brata humorum coctio ; ne forte , dum hisce totus incum-
 „beret medicus, vota ferens naturæ, euacuato purgantibus,
 „quod adhuc reliquum erat, sero , aut datis, inani cuncta-
 „tione, morbo induciis, altioribus actis radicibus, malum
 „ingrauiesceret.

Germana his omnino sunt, quæ maxime in constitutio-
 nibus epidemiis annorum huius sæculi XXVII. XXVIII.
 XXVIII. XXX. obseruauerunt mecum omnes medici no-
 strates, & TV , vir illustris , & ciuitatum regionumque vi-
 cinarum & remotarum medici plurimi : vt adeo merito
 aliis , qui talia pericula febrium spontanea , & tam manife-
 stam

DISSE^TAT^O EPISTOLARIS.

37

stam in illis corticis vtilitatem & necesitatem non viderunt,
& ex sua experientia alienam, ex abusibus vsum praeiudicant & condemnant, merito dixerim obseru. de febr. p. 223.
,,tu si hic sis, si, quod nos, videris, noueris, exploratum habeas;
,,aliter sentias.“

Patet vero ex ipsa illa de lapillis in fellea vesica, ex
vitio febrium, cortice mature dato vnicce certo sanabilium,
genitis, is, quem supra laudauimus, eius remedii vsum, in
icteri etiam ab eiusmodi caussa, eiusque saepe, iterum ite-
rumque progenitis calculis, recidiui, curatione: vti ex re-
liquis, quae hactenus proposui, constare satis videtur, quam
æquiter rectum corticis vsum, cum celeb. viris, ALEX.
& ELIA CAMERARIIS & LANZONO, in supra laudata
CAMERARIANA dissertatione excitatis, a febre ad icterum,
pro re nata, extendendum iudicemus. Tempora vero
morbi, atque indicationes prohibitionesque, rite discrimi-
nare oportet. Non ipsos spasmodorum acutorum praesentes
paroxysmos, non continentes, inflammantes, aliasque alie-
nas febres, non obstrukiones labesque vi remedii supe-
riores, scirrhos, abscessus, & similia, quæ in febribus et-
iam intermittentibus corticis vsum prohibere solent; sed
ea auriginum genera, tempora, circumstantias, vbi ni-
hil contra indicat, cum laudatis viris, speramus atque ex-
perti nouimus, ab hoc remedio rite & prudenter usurpa-
to, præmisisis, coniunctis, postpositis, pro indicatione, aliis,
tantum opis euidenter saepe nancisci, quantum ab aliis ex-
spectare vix liceat. Quid in vsu eius medicinæ eauendum
fit, quomodo evitandi abusus, clare satis ostendisse me pu-
to in observationibus de febribus, & in cautionibus medicis de
limitandis laudibus & vituperiis morborum & remediorum, vn-
de ista ad huius etiam biliosi morbi curationem facile fue-
rit applicare.

Gra-

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

Gratulor mihi, tua approbatione, tuæ experientiæ plenissimis suffragiis firmatas esse omnes regulas & limitationes, ibi a me scriptas: gratulor, accessisse, quem benevolè mecum communicasti, consensum summi viri, patrui tui, & bene multorum præterea genuinorum medicorum, qui, pro regularum ratione & modulo, rem ipsam prudenter experti sunt. Contradixerat mihi, vt nosti, sine eiusmodi experientia, cl. GOELICKIVS, quum obseruationum de febribus librum edidisset, libello, quem de laude febris falso suspecta, aduersus illustris patrui tui laudem febris merito suspectam, inscripsit: sed ita contradixerat, vt ipsum cum suis animi affectibus & præiudicatis opinioribus, non cum libri argumentis rem habuisse, & personæ meæ certas ob caussas infensum fuisse, cuilibet pateret. Caussas illas facile appareat nihil aliud fuisse, nisi censuras meas in scripta quædam eius, quas in ipso illo obseruationum libro feceram, & quarum impatiens fuerat. Indicavi loca, & leuidenses viri obiectiones voculasque iniuriosas modestissime remoui, in secundo cautionum medicarum tractatu, animaduersionibus de limitanda febris laude. Tam tamen tunc agnoscebam, quiescere eum & veritati concedere vix posse; rogabam vero p. 14. vt, si amplius pugnare vellet, "plaustra conuiciorum in stabulo relinquere, si sine iis certare posset, quod posse vix soleant, quibus mala caufa sit, & precepta opinio dominetur. Petitioni quidem locum non dedit: eo tamen ipso id, quod modo dixi, egregie confirmavit, editis nuperrime plagulis duabus, quibus quot paginas, tot plena conuiciorum plaustra, rerum omnino inania, in campum denuo produxit. Protrusit nempe in lucem d. VIII. April. a. cl. loccxxxv. epicrisin, vti longus titulus fert, in excerptum commercii litterarii Norimbergensis, quod hebdomade

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

39

made xxxviii. a die xxx Sept. a. cl³ l³ ccxxxiii. ex litteris
 DD. Pauli Gottlieb VVerlhofii ad DD. Gætzium Hannouera d.
 xxx Augusti scriptis p. 305. 306. illis insertum est, vna cum bre-
 ui discussione questionis, quis belleboro rectius indigeat? an
 VVerlhofius, an vero disputationis de laude febris falso suspecta
 auctor? additis simul rationibus, quare prædictæ disputationis
 auctor compilatori cautelarum medicarum de laude morborum ac
 remediorum temperanda non sit responsurus, Francofurti & Lip-
 siæ, sine auctoris & bibliopolæ nomine. Scilicet pauci elab-
 psi erant dies, ex quo ad manus meas peruererat Gælickiana
 disputationis de laude febris falso suspecta, quum litteris quibus-
 dam meis, ad b. DD. GOETZIVM Norimbergam datis, se-
 quentia insererem verba, præter meam intentionē edita: "Ante
 , paucos dies in manus meas incidit dissertatio de laude febris falso
 suspecta, cuius auctor COHAVSENII archeum febrium fabrum,
 BERGERI dissertationem de laude febris merito suspecta, &
 meas denique obseruationes, frusta erroris suspecta reddere alla-
 borat. Bilem atram, qua turget, in meas precipue obseruationes,
 in præfatione maxime & p. 28. 32. crude, & sine ulla rationis aut
 argumenti umbra, euomit. Neque est cur ægre id feram, quia
 id tribuendum videtur elleboro, quem ipsi obseruationibus meis
 scriptis præbueram, ob dissertationes de impostura corticis
 Peruuiani, & de noxio eius vsu, quamuis recto, que eius-
 modi remedium indicare videbantur. Quod si forte per usum
 aliquam sapientior aliquando euaserit, ut rationibus & adequa-
 ta experientia, apparenter saltim, pugnet, respondebo: tantis-
 per de iudicio inter nos cuiusuis viri prudentis securus ero."

Aduersus hæc verba illam epicrisin direxit, quam
 percensere sat erit, vt simul abunde refutata videatur. Mi-
 ratur talia commercio Norimbergensi inserta; sed tribuit
 id sollicitationibus, quas facillime sibi fingit, meis. Con-
 cedit

F

cedit vera esse , quæ de scopo disputationis dixi , sed integrum sibi æque fuisse censet falso suspectam febris laudem (sine limite) propugnare , quam ill. BERGERO eam laudem merito suspectam (iusta cum limitatione) reddere ; integrum æque , suas de *impostura* & de *vſu recto noxiō* disputationes vindicare , (quas ita dictas vindicias in cautionibus meis abunde represi,) quam mihi eas cribrationi , vt ait , meæ subiicere : quando ita eas cribraui , vt nihil in cribro remansisse videatur . Nugamentum esse dicit , quod scripsi , obseruationes meas sibi non lectas , nedum intellectas , quum de simplici & plano sint , & nemo sanus contra librum non lectum scribat . Non perfectas dixi , quia ipse fugitivo solum oculo lustratas fassus est : non intellectas , quamvis perspicuas , simplices , planas esse gaudeam , in cautionibus meis probauit . Probauit vero satis ipse , tum in disputatione de *laude febris* , tum in altera de *humorum maturatione in morbis* , vbi sine nomine meo verba manca & male intellecta allegauit , tum hac ipsa *epicrisi* . Elleboro se opus non habere deinceps disputat , qua in re lubens cedo . Proclamat , neque in mea castra transire se velle , neque assumere corticis vsum , quod mihi perinde est . Per multas sibi esse dicit rationes a priori , & numerosa experimenta a posteriori : quæ contra me measque limitationes , per sanam rationem , nihil facere possunt . v. *caution. medic.* tract. 2. §. 29. 30. Conuicia inania in id remedium paucis denuo verbis iacit , quod a me pro catholico antifebrili , & vniuersali febrium omnium domitore & exterminatore haberi criminatur , quasi æque , ac ipse . limitationum obliuiscerer : eodem errore , quo , in disputatione de *maturatione in morbis* , verba mea de degeneribus Hippocratis filiis , cruditates semper & *vbique* expurgandas perperam docentibus , in peruersum sensum mutilauit . Mul-
 ta

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

41

ta suarum formularum millia in officinis Francofurtensis-
bus exstare laudat, quarum nulla vel scrupulum corticis
recipiat, egregio genuinæ experientiæ, & solidæ aduersus
innumerous doctissimos, prudentissimos, candidissimosque
viros, multis experimentorum millibus expertos, disputa-
tionis, testimonio. Delabitur hinc ad præfationem obser-
uationibus meis præfixam, quam misere ita torquet, vt
inde eliciat, mores mihi prauos esse, id est, stolidam ambi-
tionem, tum impetum licentiose irruendi in eos, qui mecum
non senserint, quia nomen meum primo reticere me vo-
luisse scripsi. Atque inde rationem desumit, quare cum ita
male morato homine ferram disputationis reciprocare re-
cuset. Cur nomen primo reticere voluerim, quamuis
consilium dein mutarim, iudicet ex suis ipse conuiciis.
Nam noueram tales esse homines, quos notat ill. HEISTE-
RVS compend. anat. T. 1.p. 168. Conferant velim præfa-
tionem meam, qui personam ignorant, cum obtortis GOE-
LICKII insimulationibus. Subiungit facetum dicterium
BLONDELLI cuiusdam, in act. erud. Lips. 1734. m. Octobr.
relatum, tam subitam, quæ in cortice elucet, vim febres fu-
gandi, fœderi cum dæmone deberi: quod, qui serio exi-
stimaret, tribus sane Anticyris insanabilis ipsi credo cl. GOE-
LICKIO videretur. Denique certas illas cauſſas, quas supra
dixi, ob quas ipsum mihi, tunc quum de *laude febris falso*
suspēcta scriberet, infensum fuisse iudicaui, nihil aliud esse
ſomniat, quam quod ante plures annos, vti nunc demum
ſuspiciari incipit, & ſuspicioni falsissimæ ſuæ fidem ſubito
adhibet, cl. STOERIO in refutanda GOELICKIANA dis-
putatione *de mullo medicinæ corpore adiutor fuerim*, &
ab inimicis GOELICKII ad ipsum refellendum instigatus,
quos profecto nulos noui. Hinc missum me facit, &, intactis,

F 2

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

intactis argumentis, in personam cl. STOERII ad finem usque inuehitur, quam ipse, si lubet, vindicabit. Meum enim non est, alienis me negotiis immiscere.

Ceterum libellus totius flosculis conuiciorum, verborum turpitudine, nullaque præterea re, ita refertus est, vt famosum iurisconsulti dicturi essent, nisi nomen clarissimi auctoris, GOELICKII, adeo facile ex re ipsa, animi affectu, stylo, sententiisque limite parentibus, soli ipsi propriis, & quia nullum alias inimicum habeo, adeo certo & facile noscere liceret, vt tegerem illud, famosasque sine nomine iniurias spargere voluisse, vix ac ne vix quidem videatur. Vnum & alterum referam paragraphum, obscenitatibus, quæ nihil nisi chartam & scriptorem maculant, minus conspurcatum, licet æque iniuriousum, ac euidenter falsum: ex uno disce omnes. Laudaram in præfatione ad obseruationes de febribus præceptores meos, quibus primitus debear, si quid in me est, & inter alios ill. MEIBOMIVM, quem agnatum, amoris caufsa, salutau, & b. SPIESSIVM, professores Helmstadienses. Addideram, huic me successorem designatum, in eo ante aliquot annos fuisse, vt ad vitæ academicæ delicias me in patria, vndecim iam annis relicta, reciperem; sed factum esse, vt, collata aulici medici prouincia, in stabili heic sede retentus sim, sed in praxi inquieta, qua a studiorum dulcedine detinear. Scripsi illud ideo, vt partim indicarem, quibus præceptoribus, viris longe præstantissimis, primitus debeam, quæ tueor, dogmata; deinde vt ad nostrates medicos inclitos, mearum obseruationum testes & adiutores, laudandos, transitum facerem; vtque simul mei opusculi defectus diuturna ab academicis studiis absentia, & operosæ praxeos turbis excusarem. Cl. GOELICKIVS nihil in his omnibus nisi ridiculam ambitionem inuenit, quia non nisi limis oculis intueri digna-

dignatur. Hac permotus, si ipsum audiamus, ex MELEOMIANA me gente oriundum gloriatus sum. Mihi vero in oculis animoque versatur SENECAE illud : "qui genus iactat suum, aliena laudat." Ut ad istud iniuriarum & errorum specimen veniam, quod relaturum me paullo ante recepi: "Perplexum, ait, atque dubium quodammodo me reddit, quod vniuerso obseruationum opusculo non aulicorum, sed maximam partem plebeiorum hominum, sutorum, sartorum, textorumque chinchina curatorum exempla in medium producta esse videam. Si aulici multi, qui plerumque aliam, quam homines vulgi, vitæ rationem sequuntur, curandi ipsi, medico aulico, contigissent, aliter sine dubio de vera eius efficacia sensurus fuisset. Anne vero, mi lector, belleboro putas indigere eum, qui dulcem & quietam vitæ academicæ rationem, inquietæ & turbulentæ praxi, quæ ne nocturnam quidem medicis quietem indulget, anteponit? Id tamen præter omnem exspectationem fecisse VVerlhosum ipse sincere confiterut, si, quæ narrat, vera sint." Inui- niosus fatis est eiusmodi dubitatio. Non timebam atali, quum nomen & locum scriptis meis ideo maxime præfigerem, & ad omnes medicos nostrates prouocarem, ne quis GOELICKIVS obseruationum anonymarum fidem vellicare posset, aut consequentias nescio quas sibi effingere, quas ocularis, quæ cuiilibet heic patet, experientia refellit. Respondeant pro me, qui me norunt omnes. Sat notum heic est, notum tibi, vir illustris, an illustrisimorum procerum, nobilium, aulicorum, immo principis iuuentutis incomparabilis, cortice feliciter sanatorum, ex mea praxi, exempla vere & vberim licuerit allegare; notum fatis, an in una & altera academia mihi professoris statio patuerit. Sed quid ista ad controuersiam? Si non nisi opifices curasset, & curatos recensuisse, si academia me nulla optasset, veræ tamen

tamen forent obseruationes & limitationes meæ, & falsæ GOELICKII sententiæ limite carentes. Elleboro autem ideo aliquem indigere, quia inquietam praxin dulci academiarum otio præferat, num quis cum sana ratione iudicabit, nisi dum animi affectus rationem obumbrant? Mihi, fateor, academia dulcior fuisset, quæ non omnibus est, præsertim quando neque ibi praxeos turbæ a medicis abesse solent, & aliæ insuper accedunt. Mihi, inquam, dulcior fuisset academia, si rei familiaris, & necessitudinum, similiumque momentorum rationi æque contulisset, cui qui se non accommodat, si qua commoda sede sedet, atque diuina operarum benedictione luculenter vtitur, quo pharmaco videbitur opus habere?

Ignoscō facile bono viro, quem impetus animi iracundus transuersim agit, neque patitur, vt prius in personam meam statumque & mores æquiter inquirat, quam ista publice criminetur, quod præterea tam nihil ad institutum facit, vt potius malam caussam arguat. Doleo vero sincere, me iræ illi, & indecoris conuiciis, quibus non me, sed se ipsum, vir præstantissimus affixit, aliquam ansam dedisse per iocum istum meum iusto acriorem, quo elleborum me ipsi præbuiisse dixi. Excidit mihi istud in virum doctum dieterium, sed ita excidit, vt crudis ipsis conuiciis expressum videatur, quo tamen nihil aliud indicare volui, nisi quod verum est, conuicia illa, quibus vir cl. obseruationibus meis labem adspergere frustra conatus est, non ex iusta ratione, sed ex bile atra, seu ira acerba mera, per refutationes meas acriusculas, ea intentione factas, vt præiudicatis opinionibus medicarer, commota ortum duxisse. Patet illud vel inde solum, quod mecum plane sentientes medicos alios, SYDENHAMIVM & BRVNNERVM, iis ipfis

ipſis disputationibus summopere collaudat, quibus me, qui ipſius generales iniurias ſigillatim refutauit, tantopere cri- minatur, quod cum summis iſtis viris ſentiam. Ceterum ne- que insipientem, ſed doctum, ingeniosum, & bene meritum virum eſſe cl. GOELICKIVM poſtea in cautionibus meis, & tractatu de variolis, officioſe profeffus ſum: neque elleboro eum indigere reor, ſed moderatione, & animi affectuum praeiudicatarumque ſententiarum correctione, & opinionum limitatione, quam propriæ eius prudentiæ experientiæque, poſt iteratam, ſi placet, controuerſiæ ponderationem, per- mitto. Quam ~~intelligendam~~ ſi non admiferit, habeat ſibi.

Gaudeo interea, omnium, qui me norunt, testi- monio tam eſſe falsas cl. GOELICKII coniecturas de me meaque persona, prorsus ipſi ignota; tam toto cælo aliena a me eſſe, quæ in epicrifi iſta edixit, vniuersa; vt in quem- uis alium potius dicta videri queant, adeoque apud eos, quibus ignotus non ſum, ſponte omnino corruant.

Si qua mihi eſt ambitio, ſi non male de me ſentire ho- mines cupio, non mei honoris cauſa id cupio, ſed veri- tatum, quas proſiteor, & vtilitatis publicæ, quam pro viri- um tenuitate iuuare contendō: & pro his diſputo, & erran- tes criminantesque audacter refello. Conuicietur vero porro, ſi lubet: facile ipſi concederem, quod meum eſt, ſi a talibus labem id pati poſſet, exiguum illud, quod nauctus forſan apud quosdam fuero, nomen. Credat me inepte ambitionisum, credat licentiosum diſputatorem, quisquis me ignorauerit; quid hoc ad ipſas res, quas tueor, earumque argumenta? Pro his ſcripsi, non pro meo nomine. Res vero ipſas, obſeruationes, earumque conſecutiones iuſtas, regulas & regularum limitationes, arti, quam pro- ſiteor atque excolare debeo, vtileſ, in ſcriptis meis, cum veri

veri & recti conscientia, & summorum expertissimorumque virorum, & hos inter tuo, vir inclite, suffragio, propositas atque defensas, defendam denuo, quotiescumque, cum vlla rationis umbra, eas cl. GOELICKIVS, aut alius, inuaserit, dum spiritus hos reget artus.

Quod si limitationibus meis, quas, vbi libros meos non fugitiuo oculo lustrarit, sed plene & attente perlegerit, & sine opinionum velo intuitus intellexerit, veras, & iustas, & plane alias, ac sibi adhuc eas finxit, esse certo certius agnoscat, acquiescere tandem aliquando voluerit, & vel fatendo veritati concedere, vel silentio denique controuersiam finire, "acquiescam & ipse, vti in cautionibus meddicas iam dixi, tacitusque gratulabor non mihi, sed veritati, de viri docti cordata assensione, vel de eius contradictione post-hac omissa." Sin rursus, vti adhuc fecit, pugnare conuiciis & σπερμολογίαις ipsi lubuerit, erit forsan, qui vel me inuito dignum patella operculum adaptet.

Neque video, quomodo ita pergendo effugere possit, quin id de ipso iudicent viri sapientes, quod poeta quidam Gallus, (*Brueys dans l'opiniâtre*) eleganter canit:

un esprit prévenu

Dabord de bonne foi soutient ce qu'il a crû :

Mais, lorsqu'à la raison en vain on le rappelle,

Qu'à la prévention la passion se mêle,

Alors, pour soutenir ce qu'il a dabord dit,

Contre la vérité souvent il se roduit,

Et, honteux d'avouer, qu'il ait pu se méprendre,

Il voit, il sent, il touche, & ne veut pas se rendre.

An sua in praxi, quam nunquam dubitavi ipsum habere, corticis usum adsciscere velit, mihi perinde erit, idque lubens propriæ ipsius sapientiae relinquam. Non possum tamen,

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

47

tamen, quin relegenda laudem verba & experimenta sapientissimi tot principum aulicorumque medici, & quondam professoris academicici, BRVNNERI, in obseruat. meis p. 60. & 176. sq. ex eius editis scriptis indicata, quem ipse GOELICKIVS, in dissert. de maturat. humorum in morbis p. 18. magnum & incomparabilem Germanorum medicum vocat: quiq[ue] mecum omnino sensit, dum vixit, cuius rei plura specimina ante oculos sunt interque manus nostras. Neque possum, quin commendem ingenuam sapientiam viri illustris, CAROLI RICHAE, medici aulici Taurinensis, quem supra laudaui, discipuli RAMAZZINI, qui, postquam aliquando, non quidem, vti cl. GOELICKIVS, nullo, sed non æquo solum limite (vti aliquando etiam RAMAZZINVIS) corticis abusum terminarat, a cl. TORTO, medico aulico Mutinensi, meliora edoctus, & praxi sua, & publica erroris confessione, veritatem confirmavit. En viri candidissimi, morborum & curationum historici accuratisissimi, verba! (constit. epid. Taurin. a. 1723. p. 66. sq.) “Equidem uno Peruiano cortice (is scilicet „erat præstantius auxiliī genus) tum, que primo illu- „xerant, intermittentes febres, tum ab iis ortas, aut iis ana- „logas ceteras, que caput pasim extulerant, subigi penitus, nec „reuiuiscere amplius memini, congrua quidem dosi, tum debito „more, administrato. Vere aureus arbore ramus, qui, furente „sparsis quaquauersum fluctibus torrente, procellæ impetum siste- „ret, excandescentes succos compesceret, vimque morbi retunde- „ret ac cohiceret. Vere polychrestum, & prope dixerim diuinum „remedium, cui utinam simile quidpiam ad alios morbos habere- „mus. Vir cl. FRANC. TORTI me minus olim docte sentientem „de hoc admirabili febrifugo, imo forsitan & iniuriose nimis de „illo locutum, utpote qui in verba magistri omnino iurabam, di- „gnatus est omnibus benevolentie signis complecti; quo tandem

G

„tum

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

„tum propriis obseruationibus edocitus ipse, tum ingenti ratio-
 „num pondere conuictus, quibus laudatus vir corticis innocentia
 „am aduersus quosdam meticuloſos, vel praeiudiciis imbutos, qui-
 „bus (pauci ſint licet) ſuceptus etiamnum redditur chinæ chinæ
 „vſus, tuerur, errorem ipfe meum agnouerim ac vltro fatear
 „modo. Quædam ſcilicet laudis pars eſt, erraffe aliquando, con-
 „fiteri errorem, inque viam reduci.“ Deinde postquam in-
 geniosam ſuam theoriam de febrium eiusmodi epidemiarum,
 nostris illis, quæ ſcribendis obſeruationibus de febribus lo-
 cum dederunt, plane ſimilium, cauſis declarauit, & historias
 variorum ægrotorum cortice curatorum, e quibus vnuſ
 ſoporofus erat, recensuit, aliquam etiam historiam ægri-
 omiffo cortice pereuntis, “plerosque, ait, huiusmodi caſus re-
 censere possem, quibus denegatus cortex, aut dimiſſus idem,
 cum adhuc largiore illum doſi exhibere opus erat, rem permi-
 fit in deterius abire. Ut vt enim vefcantia & ſanguinis mi-
 ſio, que duo haud diſſimile tutiora exſtitisse hæc conſtitutione
 post corticem præſidia, (in iis potiſſimum febribus, quæ acuta-
 rum indolem emulabantur) viderentur recta aduersus morbi
 genium pugnare, vt & repetita diluentia ac fotus, quorum ea-
 dem ferme ratio: ea tamen nihil, aut vix parum quidem, niſi
 una cortex adminiſtraretur, aduersus morbi cauſam profece-
 runt, quæ id namque præſidii efflagitabat, quo vegetior chylus,
 vegetiore hinc quoque facto ſolido, imperuia viarum facili mar-
 te peruadere, imoſque recessus adire poſſet, vno verbo, pro-
 perantia ad ſtas in ſeu ad concretionem liquida, defiſcentia hinc
 pariter ſolida, fluorem illa, hæc vim ac robur amifum reci-
 perent, ad ſtas utraque æquilibrii leges regredere rentur, vi-
 dicarentur ab infarctu glandulae, expedirentur ab obſtructioni-
 bus viae, præcaueretur ſuprema, quæ imminebat, iactura: quod
 vnum ſperandum erat a cortice. Equus indomitus & effrenis

„quan-

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

49

„quandoque est febris. Ab eo hominis vita trahitur, velut cur-
„rus, quo fata sinunt. Medicus moderator est, aurigæ instar lo-
„ra tenens. Si vulgari utatur hic methodo in curatione febris,
„id ager tantum, vel studebit agere, ut medium furens equus te-
„neat iter, ne in foneas hinc inde paratas obliquus feratur, cur-
„rumque, vel hominem, perdat; non vero impediet, quin cursum
„suum equus expleat, usque quo illi suppetunt vires, & furor:
„non sine graui metu, quod, dum

„Fertur equis auriga, nec audit currus habenas,
„offendat ille tandem ad obicem aliquem, ad quem allisa male
„consistens facile frangatur machina. Quod si china chinavta-
„tur medicus, id ager, ac si retracto magistra manu conuenien-
„ter fræno, equum vi sifat, aut retrogradum faciat, & hoc
„pacto totius incerti cursus declinet pericula. Plerosque utique
„casus recensere possem ægrotantium, quibus male cesit res, siue
„ludens adhuc tertianario circuitu febris derepente in acutam
„transierit, siue haud deleto morbi somite in lentam abierit,
„quod utrumque discrimin eludere erat, exhibito opportune cor-
„tice.“ Huius ceterorumque plurimorum ab errore, ex-
perientia duce, redeuntium, & in remedii, quod contemse-
rant, laudes æquas effusorum exempla, si nolit sequi cl.
GOELICKIVS, limitare forsan ipsum aliquo saltin modo
docebit vir præstantissimus, sententiarum STAHLIANA-
RVM defensor acris, b. GOHLIVS, qui hanc ipsam in
rem in medic. clinic. & forens. p. 609. professus est, non esse
pertinaciter iurandum in verba magistri; docebit limitare ipse
STAHLIVS magister, cum asleclis plerisque & doctissimis;
docebit denique limitare, si non propria, saltim aliena ex-
perientia, & ratio ac prudentia propria, quamprimum
vela animi affectuum ab ista remoueri patietur.

Finio hisce scriptiunculam hanc, atque ita, nisi
G 2 quid

DISSERTATIO EPISTOLARIS.

quid noui, vniuersæ cum cl. GOELICKIO controuersiæ coronam impono, de tuo, vir illustris, omniumque, qui me norunt, omnium denique eruditorum & sapientum non præiudicantium iudicatione securissimus. Ignosce lucubrationem hanc apologeticam, ad TE datam, fiduciæ in TE, in iudicium tuum, tuamque benevolentiam, meæ!

Vale, atque ordinis medici & nostrum decus esse diu
diuque perge! Scribebam Hannoueræ
d. xxv. Maii. a. c. l. c. cxxxv.

CORRIGENDA.

- pag. 7. lin. 24. pro largus leg. largius pag. 8. lin. 12. pro his leg. bipertita
- pag. 9. lin. 5. leg. aliquantulum
- p. 12. lin. 13. leg. examinari
- p. 13. lin. 28. leg. renunq[ue]
- p. 16. lin. 8. leg. transitus lin. 9. leg. sufflaminetur.
- pag. 26. lin. 4. post introduximus, add. Deditus bis in die, cum magna efficacia,
non nisi granum unum & semis, duo, tria, continuato per plures hebdomades usu,
additis, pro re nata, aliis. Maiorem enim sulfuris antimoniij dosin facile vomi-
tum, calomelitis continuati saliuam ciere, internostrates dudum experti sumus.
- p. 27. lin. 15. leg. pertinaciores lin. 16. del. biles



trouerla
que, qui
vientum
osce lu-
dus in
n, mea!
esse diu

spemta

agno efficacia,
bolomades vnu
facile rom-
perit sumus.

g. 69/6

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8
	3	4	5	6	7	8	9	10
	4	5	6	7	8	9	10	11
	5	6	7	8	9	10	11	12
	6	7	8	9	10	11	12	13
	7	8	9	10	11	12	13	14
	8	9	10	11	12	13	14	15
	9	10	11	12	13	14	15	16
	10	11	12	13	14	15	16	17
	11	12	13	14	15	16	17	18
	12	13	14	15	16	17	18	19
	13	14	15	16	17	18	19	8

TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007



© The Tiffen Company, 2007

R 14

